UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Summæ Theologicæ Scholasticæ Et Moralis

In Quatuor Partes Distributæ

In qua de Incarnatione Verbi & Mysteriis vitæ Christi, nec non de Sacramentis in genere & singulis in specie succinctè & dilucidè tractatur

Herincx, Wilhelm

Antverpiae, 1675

Præfatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-72963

Visual Library

TRACTATUS PRIMUS DE INCARNATIONE VERBI ET MYSTERIIS VITÆ CHRISTI.

PRÆFATIO.

AGITUR in hoc Tractatu de abditiſſimo Incarnationis Myſterio, ac ineffabili duarum naturarum divinæ ſcilicet & humanæ conſortio in eadem perſona, nempe Chriſto Jeſu vero Deo & homine, per quem inſtauramur, & in viam ſalutis, unde per peccatum deflexeramus, reducimur. Quod myſterium poſt illud Sanctiſſimæ Trinitatis eſt ſublimiſſimum & cognitu difficillimum: ſoletq́ communiter exprimi nomine Incarnationis. Quàmvis autem non defuerint Aliqui nimiùm latini, qui hoc tamquam non ſatìs latinum reprehenderint: immo interdum Catholici (ut patet apud Athanaſium ſeu potiùs alium Auctorem, Serm. de SS. Deipara) illo ſine addito uti formidarint, ne Verbum divinum ſolùm carnem ſine anima aſſumpſiſſe cum Apollinari & Ario ſentire viderentur: rectiſſimè tamen retinetur, quod paſſim ab antiquiſſimis Patribus uſurpatum, & in Symbolo Nicæno ſive Conſtantinopolitano fuit expreſſum. In tantis quoque myſteriis non eſt adeò curanda verborum latinitas. Quin immo cùm myſterium ſit novum, novum vocabulum latinum illius ſignificativũ oportebat inſtitui.

Vocabulum *Incarnatio* non poteſt reſpui.

inſtitui. *Abeſt etiam erroris periculum; quandoquidem nomine carnis hîc (uti & ſæpè in Scriptura, ac ſignanter* Joan. 1. *ubi dicitur:* Verbum Caro factum eſt) *intelligatur totus homo, ſive humanitas, cujus ſignificatur aſſumptio. Itaque Incarnatio importat actionem, quâ divina natura ſubſtantialiter unitur naturæ humanæ in unitate ejuſdem perſonæ, hoc eſt, ita ut inde reſultet unica perſona, ſeu ſuppoſitum quod ſit Deus homo. De hoc itaque grandi Myſterio, ac pariter de Myſteriis vitæ Jeſu Chriſti Dei hominis, qui factus eſt nobis exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus, breviter hîc agemus.*

Quid ſignificet.

DISPU-